



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 17. Lovaniensis censura, necnon propositiones per eandem notatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.

A.C. 1587.

hunc articulum in irritum cecidere: quippe Facultas sententiam pronuntiare parata, ut illa majorem obtineret vim, non modo propositiones, quas ipsemet Lessius tanquam suas agnoscebat, ac Facultati proponebat, censuris notavit, sed etiam eidem transumpto, quod hi Doctores ex Lessii scriptis depromperant, insistendum decrevit: mox ergo hæc assertiones sæpius descriptæ cum ceteris Doctoribus tradebantur, pluresque ex Theologis in hæc dogmata suas animadversiones adjiciebant, porro ex plurium horum Doctorum judicii Henricus Gravius censuram confecit, quæ Facultati exhibita, & postmodum discussa fuit, eaque ab omnibus unanimi suffragio approbata decretum est, ut hujus censuræ duo conficerentur exempla, quorum unum ad Facultatis tabulas referretur, alterum vero per Bedelum, ut vocant, ad Jesuitarum Rectorem transmitteretur, ut is illud Professoribus communicaret. Hæc etiam die nona Septembris hoc anno effectui data fuere.

§. XVII.

Lovaniensis censura, necnon propositiones per eandem notatæ.

Hist. Congr. de aur. l. l.

Porro haud inconsultum erit triginta quatuor hæc propositiones referre, prout

prout in censura exponuntur unacum notis, quibus ibidem perstringuntur. Hi Doctores præprimis summam circumspeditionem, qua hanc rem aggressi sunt, testatam reddunt, priusquam ad censuræ severitatem descenderent, postea vero profitentur, se non sine maximo animi mœrore expertos esse, quod præcipua gratiæ Christianæ basis non modo impugnetur, sed etiam, quantum fieri potuit, per novas opiniones toties rejectas, & condemnatas evertatur, simulque divi Augustini doctrina in Ecclesia tam solemniter approbata ab ipsismet Ecclesiæ Filiis proscindatur. His præmissis concludunt Doctores: „Merito obstupescimus, quod hodie, dum nonnulli cum Catharino, & Pighio non modo vanas difficultates invent, ac resuscitent, sed etiam ferme cunctas Massiliensium Sacerdotum, qui antehac in Galliis divi Augustini doctrinam impugnabant, querelas denuo movere non dubitent, quantumvis omnibus in comperto sit, quod ipsa sacra Sedes per Coelestinum Papam huius motus represserit.„ Postea argumentis comprobatum reddunt, quod ambo hi Jesuitæ Theologiæ Professores haud alia, quam Semipelagianorum, dogmata innovarint: denique Facultas, quoties aliquam utriusque huius Jesuitæ

Sæcul. XVI.

A.C. 1587.

c. 3. p. 12. & seq.

Censuræ Facult. Theol.

Lov. &

Duac. Pa-

ris. 1641.

Hist. Eccles. Tom. L.

Kk

pro-

Sæcul. XVI.
A.C. 1587.

propositionem refert, mox eandem sacræ Scripturæ, sanctorum Augustini, Prosperi, Fulgentii, aliorumque Patrum testimoniis confutat: porro triginta quatuor propositiones erant sequentes:

In ead. cens.
p. 21.

I. „Ut quid sit Scriptura sacra, non
„est necessarium singula ejus verba in-
„spirata esse a Spiritu sancto.,

II. „Non est necessarium, ut singu-
„læ veritates, & sententiæ sint imme-
„diate a Spiritu sancto ipsi Scriptori in-
„spiratæ.,

III. „Liber aliquis, qualis forte est
„secundus Machabæorum, humana in-
„dustria sine assistentia Spiritus sancti
„scriptus, si Spiritus sanctus postea teste-
„tur, nihil ibi esse falsum, efficitur Scri-
„ptura sacra.,

IV. „Augustinus definit, quod Præ-
„destinatio sit præscientia, & præpara-
„tio beneficiorum Dei, quibus certissi-
„me liberantur: quæ definitio valde
„bona est, si intelligatur de prædestina-
„tione hominum, quæ supponit servitu-
„tem, & peccatum, & de certitudine
„ex præscientia, non ex mera præordi-
„natione.,

V. „Deus post prævisum peccatum
„originale habuit voluntatem dandi
„Adamo, & toti ejus posteritati suffici-
„entia media contra peccata, & auxi-
„lia

„lia ad consequendam vitam æternam : **Sæcul. XVI.**
 „ergo dat illis sufficiens auxilium, ut **A. C. 1587.**
 „possint converti. „

VI. „Tota Scriptura plena est præ-
 „ceptis, & exhortationibus, ut peccato-
 „res convertantur ad Deum : atqui
 „Deus non præcipit impossibilia : ergo
 „dat illis sufficiens auxilium, ut pos-
 „sint converti. „

VII. „Dices, Deum quidem voca-
 „re omnes ad pœnitentiam, sed non se-
 „cundum propositum, & non illa voca-
 „tione, quæ est sine pœnitentia. Re-
 „spondeo: hoc videtur alienum a boni-
 „tate Dei, quia non esset hoc serio, sed
 „delusorie vocare, si vocaret aliquem
 „non ex intentione, ut convertatur:
 „Augustinus autem, (*UT IN SCHO-*
 „*LIO ADDITUR*) propositum Dei ac-
 „cipere videtur, ut idem sit, quod præ-
 „videat illo modo, quo novit illum se-
 „cuturum. „

VIII. „Jubentur omnes baptizari:
 „ergo Deus, quantum in ipso est, vult
 „omnibus dare gratiam baptismi.

IX. „Hunc locum, *Deus vult omnes*
 „*homines salvos fieri*, id est, vult omnes
 „homines salvos fieri, qui salvi fiunt,
 „non videtur exponere Augustinus se-
 „cundum intentionem Apostoli, & sex
 „amplius argumentis dicta interpreta-
 „tio oppugnatur.

Sæcul. XVI
A C 1587

X. Deus vult dare Christum in Redemptorem pro omnibus, nullo excepto: ergo omnibus præparavit sufficientiam media per Christum: probatur consequentia: quia eatenus est Christus omnium Redemptor, quatenus per ipsum dantur omnibus sufficientia auxilia, quibus resurgant a peccatis: si enim non darentur sufficientia, verus non esset omnium Redemptor, neque quoad sufficientiam, neque quoad efficaciam.

XI. „Ut peccator possit converti, non est necessarium, ut recipiat utrumque auxilium, præveniens scilicet, & concomitans, in actu secundo, sed satis est, ut accipiat auxilium præveniens in actu primo, & tunc vere habet auxilium sufficiens ad actualem conversionem.

XII. „Concomitans concursus specialis, seu supernaturalis ita præparatus est peccatori, sicut concursus naturalis, & generalis præparatus est potentiae naturali v. g. potentiae videndi. *Et infra:* Deus non dat ipsa opera bona, nisi quatenus per gratiam prævenientem dat nobis auxilium sufficiens, & paratus est dare concursum gratiae concomitantis in actu secundo, si volumus.

XIII. „Au-

Sæcul. XVI.
A.C. 1587.

XIII. „Augustinus ubicunque dicit,
 „nos non tantum gratia egere, qua pos-
 „simus, sed etiam, qua faciamus, in-
 „telligendus est de suprascripto conconi-
 „tanti concursu, quod scilicet non pos-
 „simus facere sine auxilio gratiæ conco-
 „mitantis: alioquin dictum ejus non es-
 „set universaliter verum, nam ut fa-
 „ciamus, non requiritur efficax exci-
 „tatio, quæ voluntatem infallibiliter
 „determinet, qualis forte fuit Paulo,
 „& Magdalenæ, aliisque nonnullis, dum
 „converterentur, sed sufficit multo mi-
 „nor, quæ plenissimam relinquit liber-
 „tatem.

XIV. „Quod dicit Augustinus, eis,
 „qui non sunt a perditionis massa segre-
 „gati, non adhiberi dicta, vel facta di-
 „vina, per quæ possent credere, si au-
 „dirent, cum grano salis accipiendum
 „est: ut intelligantur, non accipere in
 „actu secundo illa auxilia, cum quibus
 „Deus noverat, eos de facto conver-
 „tendos: quod certissimum est de omni-
 „bus, qui non convertuntur.

XV. „Ad illud, quod capite sexto
 „de prædestinatione Sanctorum objici-
 „tur, ubi Augustinus docet, hunc nol-
 „le credere, quia ejus voluntas non
 „præparatur a Domino, quod tamen
 „erat necessarium, ut credere vellet: re-
 „spondetur: valde improprie dici, quod

Kk 3

„is,

Sæcul. XVI. „is, cui sufficienter proposita est fides,
 A.C. 1587. „ideo nolit credere, quia ejus voluntas
 „non præparatur a Domino.

XVI. „Est quoddam perseverantiæ
 „donum, consistens in quodam specia-
 „li auxilio, & protectione, qua Deus
 „ita protegit, & munit quosdam, ut
 „fere indeclinabiliter, & infallibiliter
 „in gratia perseverent usque ad mor-
 „tem: quod quibusdam conceditur, ut
 „forte Apostolis post acceptum Spiritum
 „sanctum, & (*ut in scholio additur*)
 „iis, qui dicuntur confirmati in gratia.
 „Aliud est perseverantiæ donum, quod
 „consistit in quodam auxilio, & prote-
 „ctione, qua Deus ita adest, ut possint
 „in gratia perseverare, si velint, & hoc
 „donum est necessarium ad salutem, &
 „datur omnibus justis immediate in actu
 „primo.

XVII. „Indurati, & excæcati ha-
 „bent sufficiens auxilium ex parte Dei,
 „ut convertantur. *Et infra*: Omnes
 „infideles semper, & ubique habent suf-
 „ficiens auxilium ad salutem ex parte
 „Dei.

XVIII. „Omnia loca Scripturæ sa-
 „cræ, quæ significant, esse impossibile
 „quosdam converti, intelligenda sunt,
 „ut impossibile accipiatur pro eo, quod
 „est valde difficile.

XIX. Par-

XIX. „Parvuli ex parte Dei habent
 „remedium sufficiens contra peccatum,
 „præsertim in nova Lege, nam Chri-
 „stus pro omnibus mortuus est, & pro
 „omnibus instituit Sacramentum in re-
 „medium peccatorum, nemine excepto,
 „atque id (*quod in Scholio additur*) ex
 „Epistola 59. D. Cypriani satis aperte
 „colligitur.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1587.

XX. „Quod applicatio talis remedii,
 „baptismi scilicet, his, vel illis ob ali-
 „qua impedimenta occurrentia fiat im-
 „possibilis, non est Deo imputandum,
 „quia non ordinat, ut non possit ap-
 „plicari, vel ut talia impedimenta oc-
 „currant, sed tantum permittit secun-
 „dum communem cursum rerum, sicut
 „permittit peccata.

XXI. „Omnes infideles semper, &
 „ubique habent sufficiens auxilium ex
 „parte Dei, seu in actu primo: si enim
 „facerent, quod in ipsis est, & quan-
 „tum possent secundum præsentem di-
 „spositionem naturalem, vel superua-
 „turalem, quam habent, Deus illumi-
 „naret eos, ut credere possent, vel
 „converti.

XXII. „Qui invincibiliter ignorat fi-
 „dem, tenetur ad præcepta naturalia,
 „id est, Decalogum: ergo habet auxi-
 „lium morale sufficiens ad illa imple-
 „nda: quia Deus neminem obligat ad

Sæcul. XVI. „impossibile: alioquin videtur accedere
A.C. 1587. „ad insaniam hæreticorum, qui dicunt,
 „per peccatum originale amissum libe-
 „rum arbitrium ad bonum.

XXIII. „Sententia, quæ dicit, eos,
 „qui salvantur, non efficaciter electos
 „ad gloriam ante prævisionem bonorum
 „operum, vel applicationis meriti con-
 „tra peccatum, videtur maxime pro-
 „babilis: tenent autem hanc senten-
 „tiam omnes Patres Græci, adeo ut
 „communiter dicatur sententia Græ-
 „corum. Et in Scholio: quamquam
 „diversa sententia Augustino adscriba-
 „tur, non puto tamen esse Augustini,
 „nam ubi de hac re loquitur, non ex-
 „primit, utrum loquatur de immediata
 „electione ad gloriam, an de mediata,
 „quæ est ad gratiam: item an loquatur
 „de electione absoluta efficaci, an de
 „conditionata, id est, si gratiæ fuerint
 „cooperati: quomodo intelligendas esse
 „promissiones divinas docet Concilium
 „Tridentinum Sess. 6. quod si tamen con-
 „traria sententia esset Augustini, non
 „admodum referret. „

XXIV. „Deinde probatur aliis plu-
 „ribus testimoniis: *Tene, quod habes,*
 „*ne alius accipiat coronam tuam:* ergo co-
 „rona potest amitti, cui respondet Au-
 „gustinus cap. 13. de Cor. & gr. Scri-
 „pturas ita loqui, non quod corona pos-
 „sit

„sit amitti, sed ut homines stent in timore. „

Sæcul. XVI.
A.C. 1587.

XXV. „In statu innocentiae sufficiebat homini ad salutem gratia, qua poterat perseverare, si vellet: ergo & nunc.

XXVI. Si electio est ad certum gloriæ gradum: ergo omnia opera justorum debent absoluta Dei voluntate esse præordinata, nec poterunt aliter, nec aliud operari, quam sit a Deo præordinatum: quod est contra libertatem.

XXVII. „Martyria, & afflictiones Sanctorum, quas patiuntur ab impiis, sunt excellentissima media salutis ipsorum: ergo etiam hæc ante omnem prævisionem erant præordinata, quod est falsum: quia Deus non est author peccati.

XXVIII. „Ad illud Ezech. cap. 3. v. 27. faciam, ut in præceptis meis ambuletis &c. dico ibi significari, Deum daturum abundantioram gratiam in nova lege, quam in veteri, qua fiet, ut re ipsa plures ambulent in lege Dei, quam in lege veteri: non ergo illud, faciam, ut ambuletis, significat illum providentiæ modum, per quem omnes infallibiliter servarent præceptum Dei.

XXIX. Non est voluntas absoluta Patris, ut omnes, quos ipse dat fi-

Kk 5

„lio

Sæcul. XVI.
A.C. 1587.

„lio, absolute salventur, ut patet Joan-
„nis 17. ubi dicit, quod ex illis, quos
„dedit ei Pater, perierit filius perdi-
„tionis, qui se ipsum perdere voluit,
„sed voluntas Patris est, ut omnes ha-
„beant sufficientia auxilia, & non stet
„per ipsum, quo minus salventur.

XXX. „Hæc sententia Apostoli,
„Omnia cooperantur in bonum iis, qui
„secundum propositum vocati sunt sancti,
„loquitur in genere de omnibus dili-
„gentibus Deum, non autem tantum
„de illis, qui erant prædestinati.

XXXI. „Ex his verbis, Jacob dilexi,
„Esau autem odio habui, per dilectio-
„nem non significatur efficax ordinatio
„ad gloriam, sed ad majora dona gra-
„tiæ, quæ non erant ex prævisis me-
„ritis: quia enim ex Jacob nasciturus
„erat Christus, voluit illi Deus, & ejus
„posteritati maxima dilectionis signa
„ostendere, quæ non ostendit fratri e-
„jus Esau, ita, ut comparatione Jacob,
„& populi Israelitici, Esau, & Idumæi,
„possint videri odio habiti.

XXXII. „Si Deus præviso originali
„peccato, absoluta voluntate constituit
„hunc hominem excludere a Regno,
„vel admittere ad Regnum, ante om-
„nem operum prævisionem: ergo nul-
„lis operibus bonis, vel malis poterit
„averti, quod decretum est, nam hæc
„sup-

„suppositio divinæ voluntatis facta est
 „independenter a libertate humana:
 „ergo absolute necessarium est homi-
 „nem damnari, posito, quod Deus il-
 „lum reprobaverit, & speciali provi-
 „dentia procurari debebit, ut in pec-
 „catis moriatur. „

Sæcul. XVI.
 A.C. 1587.

XXXIII. „Numerus prædestinato-
 „rum non est certus ex præordinatio-
 „ne, quæ antecedit omnem præscien-
 „tiam operum.

XXXIV. Hæc sententia de prædesti-
 „natione, & reprobatione, maxime
 „consentanea est divinæ bonitati, Scri-
 „pturarum auctoritati, Patrum testi-
 „moniis, & naturalis rationis æquitati,
 „in nulla re omnino Pelagio favens, &
 „quam longissime a sententia Lutheri,
 „& Calvinii, & reliquorum hæretico-
 „rum nostræ tempestatis recedens, a
 „quorum sententia, & argumentis dif-
 „ficile est alteram sententiam vindicare.

Ceterum hæc censura non modo
 verbis, sed & rationibus erat suffulta,
 & quidem earum quælibet non modo
 notata videbatur, sed etiam cuius clari
 textus ex sacra Scriptura, sanctisque
 Patribus opponebantur: præprimis ve-
 ro Doctores in præfatione, quæ huic
 censuræ præfigitur, plures proferunt
 rationes, ob quas ad hanc damnatio-
 nem descendere coacti sunt, quarum
 prima

Sæcul. XVI.
A C. 1587.

prima erat, quod doctrina ab eis damnata omnino aduersetur iis, quæ sanctus Augustinus de gratia, & libero arbitrio in suis operibus sexcenties docuerat, cumque hujus sancti Doctoris auctoritas in Ecclesia a Conciliis, summis Pontificibus, atque illustrioribus Ecclesiæ Scriptoribus plurimi habeatur, tam his, quam illis ingens inferretur injuria, si a tanti Doctoris auctoritate recederetur. Altera causa erat, quod damnatæ hæc propositiones, comprobare videantur, perinde ac si re ipsa in Ecclesia opinionum varietas obseruaretur circa gratiam, & liberum arbitrium, atque Ecclesia Orientalis circa hunc articulum ab Ecclesia Occidentali discreparet. Tertia ratio erat, quod eadem propositiones innuant, & resuscitent cunctas Semipelagianorum Massiliensium propositiones legitime a sacra Sede, & præcipue a Cælestino Papa damnatas. Denique quarta causa erat hæc, eo quod hujus doctrinæ consecutiones pariter veritati aduersentur, & animarum salutis perniciosæ sint.

„Eapropter, subjungebant hi Doctores
 „sermone ad Jesuitas converso, per Jesu
 „Christi viscera vos obtestamur, ut se-
 „positis vestris præjudiciis præconceptas
 „opinionum abjiciatis, & serio coram
 „oculis Dei hanc causam dijudicare
 „veli-

„velitis, ut tandem ad fanio-rem doctri-
 „nam redeatis, nam memores sitis, Sæcul. XVI.
A.C. 1587.
 „quod Societas vestra nomen a Jesu
 „sortita sit, illudque adoptaveritis: non
 „ergo in eo studium vestrum reponite,
 „ut negetis vim, & efficaciam gratiæ,
 „quam ille impertitur, cujus nomen
 „deferre gloriæmini: insuper revocate
 „in memoriâ, quod vester Pater Bel-
 „larminus, cum in eadem cathedra,
 „in qua vos docetis, de eodem hoc ar-
 „gumento ageret, doctrinam vestræ
 „recta oppositam tradiderit. Denique
 „vos rogamus, ut unice solliciti sitis,
 „quatenus Ecclesia per vestra bona
 „exempla ad pietatem incitetur, licet
 „vos tanquam Sacerdotes, & Reli-
 „giosos decet.”

§. XVIII.

*Hujus censure transumpta in Bel-
 gium transmissa.*

Quamprimum hæc censura erat de-
 creta, mox plura illius transum- Fast. Acad.
pag. 171.
 pta conficiebantur, quæ ad Belgii An- Hist. Congr.
pag. 16.
 tistites, vigesima ejusdem Mensis die
 transmissa sunt, ad Mechliniensem sci-
 licet Archiepiscopum, & ad Ruræmun-
 densensem, Iprensem, Bolcoducensem, Atre-
 batensem, Namurcensem, & Audoma-
 rensem Episcopos: insuper die trigesima
 Henricus Gravius hac super re Bru-
 xellas